

opibus non satietur, sicutque hæc: quia infinita est cupiditas; quia exhaurit affectum avari; quia quo crescit magis, crescut arca, cellaria, stabula, etc.; quia quo magis crescit, crescit flamma cupiditatis; quia cum ejus augmento advenit nova indigentia, ut custodiam, arcarum, serarum, clavium, timor amittendi, dolor de amissione, etc.; quia non habet proportionem cum animo et corde nostro, ut nec sapientia vel gratia cum bursa, quia nequit esse duobus in locis, in bursa et in mente; quia famem cordis non satiat pecunia, quæstus in bursa, ut in coelis manens in cophino. Denique S. Gerdeadius Episcopus Brixiensis, serm. 14 ad Neophytos, tom. II Biblioth. SS. Patrum: « Qui amat, ait, pecuniam, non satiabitur ea. Predatoris enim rapacitas non comprimit avaritiam, sed irritat. »

Verè ergo, ait S. Hieronymus, « dixit Flaccus: Semper avarus eget. » Audi S. Bernardum hunc locum sapienter et pie pertractantem, tract. De Ditiq. Deo, post medium: « Qui diligit pecuniam, non saturabitur pecunia; qui autem esuriant, et sitiunt iustitiam, ipsi saturabuntur. Iustitia siquidem, ratione utentis spiritus, cibis est vitalis et naturalis; pecunia vero sic non replet, vel minuit animi famem, quomodo nec corporis ventus. Denique si famelicum hominem aperitis faucibus vento, inflatis haurire buccis aerem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris insanie est, si spiritum rationalem rebus putis, quibuscumque corporalibus non magis nullari, quam satiari. Quid namque de corporibus ad spiritus? Nec illa sane spiritualibus, nec isti e regione refecti corporalibus queant. Benedicite, anima mea, Domino, qui replet in bonis desiderium tuum. Replet in bonis, excitat ad bonum, tenet in bono, prevenit, suscipit, implet. »

ET QUI AMAT DIVITIAS (hebr. est 127 Mammon, i. e. copia, tantillus, turba tam hominum quam opum, qualis est Mammon), FRUCTUM NON CAPIT EX EIS, — quia eis non audeat uti in bonum suum, vel aliorum, sed eas avarè recondit in arca, ibique eas quasi defodit et sepelit, ut hæc non videant. Unde S. Hieronymus veritè, non fructur eis; Arabicus, qui amat censum, multitudine ejus non satiabitur. *Fructus, qui diligit mammonem, non possidebit illud, sed magis possidebitur ab illo (1).* Avarus enim opum non est dominus, sed servus et mancipium. Vide S. Ambrosium, lib. De Naloch, cap. IV. Est misis; minus enim dicitur et plus significatur. « Fructum non capiet, » id est, damna multa et magna accipiet. « Radix enim omnium malorum est cupiditas, » Græce *φύλαξ*, id est, *custodia argenti*, I Tim. VI. Porro Chaldaicus hic veritè, qui amaverit congregare divitias copiosiores, non est ei laus in sæculo venturo, nisi fecerit ex eis elemosynam, proptereaque

(1) Hebr. est, et qui (proprio quis, pro qui, ut Prov. 13) amat multitudinem argenti, ei non est presentia.

non est ei merces proventus ad commendam. Nam, ut ait S. Gregorius, III part. Pastor. admon. 21, « fructus ei ex illis (opibus) caperetur, si eas eas diligendo retinet, hic utique sine fructu derelinquet. » Qui sementem nimis amat, non mandat herede, ideoque nec meli. Pecunia enim quasi semen fructificat seminanti pro Deo redemptorem peccatorum, emptionem regnæ celorum, promotionem vite, quæ nunq. est a futura; qui amat animam, perdit, sic et qui pecuniam effundit, qui eam ut semen terre mandat. Sere ergo copiosam summam, ut metas copiosam messem; sere opes in pauperes, ut longe majores percipias in coelis. Vide que de avaritia dixi Eccli. x, 9 et seq.

ET HOC ERGO VANITAS. — Campensis, quisquis talis, instigatur vanus est. Vide dicta cap. I, vers. 2. Nam, ut acute ait Plutarchus in Moral.: « Cupiditates cum voluptate conjunctæ sunt; ad avaritiam, cum concupiscentiam excitat, voluptatem adimit, et velut molesta ac morosa hera parare cogit, frui prohibet. »

Ex hoc loco collige veritatem, veramque virtutem et felicitatem non consistere in opibus, sed in contemptu opum, quem affert paupertas spiritus, ut pulchre docet S. Ambrosius, lib. III, epist. 10. Idem cognovere per umbram philosophi. Socrates dixit se non admirari divitem superbum et arrogantem, nisi experiret illum civitatis dispensasse, et in alios effudisse. Hinc Seneca, epist. 10: « Qui cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est; » hinc Plutarchus: « Ut qui vestes flagellant, corpus non attingunt; sic qui paupertatem exprobrant, hominem non tangunt, sed externa calumniantur; » hinc Epictetus: « Ut qui geniti sunt inter Persas, non desiderant in Græcia habitare: ita et pauperes, quibus divitiarum nota est natura, non student ditescere. » Videtur isti legisse illud Salomonis: « Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructum non capiet ex eis. »

Ratio a priori est duplex, scilicet immensa hominis cupiditas, et auri opumque exilitas vilitasque, que tantæ cupiditati longe est impar et inferior, ut eam explere nequeat, juxta illud: « Invidites egerunt et esurierunt in inquirentes autem Dominum non minuerunt omni bono. » Psal. XXXIII, 11.

10. UNI MULTE SINT OPES, MULTI ET CÆI COMEDENT EAS. ET QUID PRODEST POSSESSORI, NISI QUOD CÆCIT DIVITIAS O ULIS SINT? — Hebræa, in multitudine tantæ (cum multiplicatur bona) multi comedentes illud; Septuaginta, in multitudine bonitatis, multiplicati sunt qui comedunt eam. Advolant enim ad rem bonam et rapidam, sicut muscæ ad mel. Arabicus, in multitudine panis, multiplicatur ei qui comedunt solum (2).

(2) Multi et qui comedunt eas. Quo sunt nammi copio-

Dupliciter, adeoque contrarie hæc gnome ab interpretibus accipitur: primo, ut significet laudem liberalitatis; secundo, ut significet vanitatem divitiarum et avaritiae.

Primo ergo Olympiodorus de liberalitate sic exponit: « Quibus legitimo honestatis jure opes atque divitiae auferantur, multiplicentur etiam, qui illis utuntur et pauperibus imperant. Nam, qui prodest impudenti avaro ac tenaci sua turpis utilitas, que oculorum solo intuitu pecuniis uti permittit? Solo namque intuitu principatum tenet in pecuniis. Quid melius (inquit Orator) et quid præstantius bonitate et beneficentia? » Favet Syrus, qui pro eo quod sequitur: « Et quid prodest possessori, » etc.? veritè, que iustitia nisi, etc.? Cajetanus, que rectitudo? Syrus, factum est felix possidentibus se, quoniam de capite meo vidi oculis meis. Sic et Lyranus, Hugo Cardinalis, Glossa, Dionysius. Huc spectat Thaumaturgus dum veritè, ad probitas (beneficentia) familiares suos majorem in modum oblectat, forsque efficit, rem unanquamque perspicendi faventem præbens.

Secundo et gerine, significat vanitatem opum et opulentorum avarum, g. d. Ut quid, o avarè, tantis curis opes congruis, cum tu ex eis non nisi tuum ventrem impletur sis? ad hoc autem modicum sufficit; reliquum quod congeris, non tibi, sed aliis congeris; quia sicut ubiqueque est cadaver, eo convolant vultures et aquilæ, Math. XXIV, 28: sic ubi sunt opes, eo convolant egeni et parasi, ut eas devorent. « Cadavera lupi, muscæ mel, prædam, non hominem, sequitur turba ista, » ait Seneca. Quare tu, dives avarè, non tam opum tuarum es herus et dominus, quam procurator et dispensator, ait idem, epist. 4; et epist. 89: « Infelices, ait, quod non intelligitis vos majorem famem habere, quam ventrem; » et epist. 114: « Furor est quod nemo nostrum unum se esse cogit. Unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? cui tot regionum vina conduntur? Si unusquisque se numeret et metiatur corpus, sciat se multum capere, nec diu posse. »

Rursus cruciat avarum, quod videat opes suas, tanto labore parvas, adeoque adamas, tam prodige a tot tantisque consumi, cum ipse ex his nil aliud voluptatis capiat, quam quod eas comat et oculos pascet, non ventrem. Sicut enim ubi multi sunt panes, ibi multi sunt mures, qui eos rodunt: sic ubi multe sunt opes, ibi sunt multi procuratores, famuli, parentes, hospites, amici, adulatores, coci, lixæ, adde et fures qui eas absumunt. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Alcimus, Hugo Merque et alii.

Huc accedit Glossa, quæ sic exponit, g. d. Qui

aves, so plures necesse est alere servos, operarios, ministros, ad divitias vel acquirendas, vel custodiendas, vel administrandas. Qui versum 8 ad agriculture laudem referunt, ejusdem commendationem ex collatione numerorum reperiant in vers. 9, 10, etc.

multas opes congregavit, non potest illis uti ad gloriam et magnificentiam, si solus sit; sed ad hoc opus est convocare plurimos, ut per eos opes dispersæ latius splendeat, puta servos, ancillas, clientes, magnates, milites, ut sit in aulis regum et principum.

Expertus est idipsum in se Salomon, qui tantas opes habuit, sed pariter tot devoravit eas, ut quotidie absumerent triginta coros similia, sexaginta coros farine, decem boves pingues, viginti boves pascales, et centum arietes, octoventa ovæ cervorum, caprearum, bubalorum et altium, III Reg. IV, 23. Ut enim alios læcæam, alebat quotidie 70 millia portantium onera, et 80 millia latomorum, ibidem cap. v, 15. Sic et hodie videmus reges opulentos tot habere aulicos, officiales, milites, etc., ut opes regni ad omnes alendos vix sufficiant; quare illi, reges licet, pauperiores sunt mercatore, qui paucas opes habet, sed liberas et ab omni debito oneræque immites.

Alexander Magnus cum orbem subjungasset, audiens plures alios esse mundos ingemuit: « Et quando, ait, illos subjiciam? » Tanta est ambitio et avaritia. Quare vere de eo Iussit Satyrus Juvenalis, satyr. 10:

Unus Pelleo juveni non sufficit orbis;
Sarcophago contentus erit.

Denique audi S. Bernardum hunc locum pertractantem, De Consider. ad Cleric. cap. XII: « Hinc, ait, divitiarum amor insatiabilis longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo, utpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio vero timoris, amissio plena doloris invenitur. Postremo ubi multe opes, multi etiam qui comedunt eas, et usus quidem divitiarum apud alios, divitiibus solum nomen credit et sollicitudo. Et in his omnibus pro tam exiguis, aut magis ne exiguis quidem, sed nullis, eam parvipendere gloriam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, que preparavit Deus diligentibus se, non tam insipientia quam indolentia esse videtur. »

(Economicæ monet hæc gnome divites, ut sint opum frugales economi, quales sunt mercatores; quia ubi sunt multe opes, domestici et famuli liberalius eis utuntur, itaque eis cito exhaucunt multitudinem ad prodigalitatem illi, sed tandem sentent illud: « Sera in fundo parsimonia. » Quare principes, quibus frugales et providi sunt economi, licet census habeant modicos, discedunt; quibus vero sunt prodigi, vel improvidi, hæbet opes habeant ingentes, depauperantur. Hic ratio ditescendi consistit in prudenti et frugali economi. Sane hæc ratione Hollandi ad rantes opes, quantas videmus, evaserunt, quia attentè sumunt rem, et minima curant; quare tantum efficiunt uno auro, quantum alii tribus vel quatuor. Vilitatè, inquit ille, non tantitate, sed usu et frugalitate meliende. »

ET QUID PRODEST POSSESSORI? — Hebraice est כִּסְיוֹן *Kisron*, id est que congruentia, rectitudo, industria, cœmmoditas, utilitas hero? Septuaginta, *que virtus aut fortitudo possidenti bona? quia principium*, vel potius principatus (hoc enim est *כִּסְיוֹן*) videre oculis suis; Olympiodorus, *principatus est illi, ut videat oculis suis*, g. d. *Que utilitas ex bonis tanta virtute et strenuitate partis, quando principatum avarus gerit solo intuitu, nec alium habet usum domini, quam quod apposita contemplantur?* Arabicus, *que iustitia*, etc.? Syrus, *et factum est felix possidentibus se*; Symmachus, *que utilitas inest habenti ea bona, nisi ut tantummodo spectet oculis suis?* Campensis, *quid habet amplius, cuius sunt divitiae, quam quod videt visus eas consumere?* alii, *nisi aspectus oculorum eius, q. d. Divites ex tot opibus pascit oculos quantaxat, non mentem, nec ventrem. Opes ergo illi non sunt, nisi inanis aspectus et vana visio, juxta illud Horatii, lib. I Serm., satyr. 1:*

Mibi plando
Ipsæ domi, simul ac nummos contempar in arca.

Et mox:

Congestis undique saccis
Indormis inhians, et lanquam parere sacris
Cogitis, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Audi S. Chrysostomum, hom. 2 ad Pop.: «Avarus ait, custos est, non dominus; pecuniarum servus, non possessor. Facilis enim alicui ex propriis carnibus, quam ex defesso auro communicaret. Velut enim quodam mandante et jubente nihil de repositis tangere, sic cum omni diligentia ea servat et continet, a suis tanquam alienis abstinens, quippe sunt aliena: que enim aliis erogare nunquam videretur, neque in necessariis impendere etiamsi infinitas sustineret penas, quomodo hæc esse propria putare possit? Quomodo vero eorum habet possessionem, quorum nec usum, nec fructum cum libertate habet?»

Porro avarus ita cernit opes suas, ut ab iis excedatur, ne veras sapientiæ et liberalitatis opes videat. Quocirca ejus symbolum est talpa, de quo pulcher exstat apologus apud Cyrillum, lib. III Apol. Moral. II, cui titulus: *Rerum terrenarum cupidus esse cæcus*: Talpe, inquit, incusabant naturam, quod oculorum usum visumque sibi deneasset, quæ deditur basilisco et hyæni. Cui Astura respondit, se id iuste et sapienter fecisse: «Nam latebras incolis, inquit, et terrena taliter flexisti, nec non amore terrestrium perdidisti cœlestia, et diligendo odibiles tenebras lumine caruisti. At necis quod avaritia monstrosa, quia nimis adamavit terrestria, perdidit cœlestia, et habet oculos et non videt. Nam ut cæca dimisit vera bona pro falsis, fixa pro fluidis, cœlestia pro terrenis: sic et infinita maxime bona pro minimis, gloriosa pro miseris, secura pro dubiis, sancta pro pessimis, et gaudiosa pro afflictivis

commulavit. Congregat quidem stulta exterius, sed intus depauperatur; in neqis se tenet defluentibus, terram possidet et a divitis infiris possidetur. Quin et vorat ut evomat, amat quo preat, acquirit quod perdat, curat quod doleat, et se onerat, ut velocius in abyssum descendat. Si audisti (Genes. III), homo, avaritia obcecatus, deliciarum mox perdidit paradysum. Nam cum animus a Deo aversus apparentium tantum cupiditate concepit, illico mentis lumen intus perdidit, et foris talpeis oculis reseratis natus suæ duntaxat pauperiem videt. Quin etiam (I Reg. xv. 9) Saul constituti rationis orbatus, diem pecora concupivit, regali gloria caruit. Et male possessis bestias, una secum pares amisit.» Idem novo chameleontis apologo confirmat: «Quam bene profecto chameleon corvo, carnis ejus cupiditate ipsum infestanti respondit: O si vitiositatis interjecta caligine, visum prædentis tibi cupiditas non abstulisset, utique attenderes quod te, si me possides, perdes. Habes igitur, talpa, cur sic furis fabricata, cum compositionis tue ratio avaritiæ sit imago. Quibus auditis, una cum verbis querimonia cessavit.»

Ostendit hic Ecclesiastes vanitatem opum et avaritiæ novem rationibus. *Prima* est, quod avarus non impleatur pecunia; *secunda*, quod fructum non capiat ex ea; *tertia*, quod ubi multe sunt opes, sint et multi qui eas consumunt; *quarta*, quod nil voluptatis ex eis capiatur, nisi quod eis videatur; *quinta*, quod saturitas divitis non sinit eum dormire; *sexta*, quod divitiæ conserventur in malum domini sui; *septima*, quod dives sepe relinquat filium et hæredem pauperem; *octava*, quod nudus revertetur ad sepulcrum; *nona*, quod vitam omnem transigat in curis, labore, ærumna et tristitia. Hinc concludendum relinquit in opibus frustra requiri, aut collocari animi quietem et felicitatem, uti pulchre ex hoc loco docet S. Thomas, *Quæst. II, art. 1, ad 3.* Huc spectant decem avorum vanitates, quas recensuit *Ecclesi. cap. xiv, vers. 3.*

11. DULCIS EST SOMNUS OPERANTI, SIVE PARUM, SIVE MULTUM COMEDAT: SATURITAS AUTEM DIVITIS NON SINIT EUM DORMIRE. — Septuaginta et Arabicus, *dulcis est somnus servi, qui toto die operatur et laborat*, presertim in agro colendo. Hebræum enim כָּבֵד *kebed* alludit ad agrum כָּבֵד *kebed*, enim id est laboratum et cultum, vers. 8. Campensis, *suavis est somnus ei qui laborando se exercet. Vatablus, qui labore manuum victum sibi parat.*

Est hæc quinta opum vanitas, quod opes pariant otium, inertiam, gulam et crapulam, item curas et anxietates, indeque *ἀσπυγία*, sive vigilias, ut dives ob stomachum cibo onustum, indigestionem et crudelitatem, æque ac curas et sollicitudines, noctu dormire nequeat, sed in mente anxius curis, in stomacho flatibus, in capite vertigine et doloribus torqueatur; cum ex adverso paupertas cogat ad opus et laborem, atque ad

frugalem cibum, quo fit ut pauper per diem labore fessus, curarum expertus noctu placide et suaviter dormiendo conquiescat. Nam, ut ait Galenus, lib. I *De Symptomata. sens. cap. viii*: «Natura poscit ut qui liberalius se exercentur, eos alior somnus æremat, tanquam multe vires iis, cum labore, a principio deflexerint.» Quocirca nihil ita somnum conciliat, ut exercitium, labor et lassitudo, adeo ut suppleat vicem cibi. Lassus enim dormit, «sive parum, sive multum comedat.» Audi S. Chrysostomum, lib. *De Virgin. cap. lxx*: «Dulcis illi somnus non propter lectum mollem, sternitur enim humi, vel super paleas; non propter libertatem, quia ne temporis quidem punctum ei liberum est; non propter otium, nam laboribus et ærumnis conficitur assidue; sed hi ipsi labores, et quod coactus prius necessitate somno se dederit, sunt in causa cur adeo dulciter dormiat.» Idem, hom. 2 ad Popul.: «Cur, ait, addidit, sive parum comedat? Ambo, inquit, hæc vigiliam inducere solent, indigentia et crapula: illa quidem affaciens et palpebras corneas reddens, nec claudi permittens; hæc vero anheliitum angens, et elidens, et multos inferens dolores; sed tanta est laborum medicina, quod si etiam ambo adsint, servus dormire potest.» Inde S. Chrysostomus colligit pulchra quedam, vel theorematia, vel axiomata. *Primum* est, veram voluptatem, qualis est somni dulcedo, emi non auro, non deliciis, non otio, sed exercitio et labore; illius enim esse mercedem. *Secundum*, pauperes magis honestam æque ac jucundam agere vitam in paupertate et labore, quam divites in otio et luxu: quia per diem vilis cibus pauperi esurienti magis sapit, quam omnes deliciae diviti saturo et nauseant; per noctem vero pauper suaviter dormit, cum dives pervigilet, ac crapula et curis mille torqueatur. *Tertium*, pauperes saniores et robustiores esse divilibus, qui proinde medicine, id est misero vivere coguntur: «Divitibus enim, inquit, in jucunditate multe reptitudines irruunt; pauperes autem a medicorum manibus immunes sunt. Si vero nonnunquam et in imbecillitate incidant, brevi seipsos instaurant mollitie omni liberi, et corpora robusta habentes. Magna possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus. Theaurus qui nequeat auferri, baculus firmissimus, inculpabilis possessio, diversorum ab insidiis tutior.» Vide Titelmanum hic divitum noctes insomnes, ac corporis animique tormenta graphicè describentem.

Mystice, somnus est quies conscientie, quam possidet operans virtutum opera, qua caret dives, qui bonis terrenis inhiat. Audi Cassianum, *Collat. xiv, cap. v*: «Et revera si comparare volueris suaveolentem virginis florem, et tenerimam castimonie puritatem tetræ ac fetidis libidinum volutibus, quietem securitatemque monachorum periculis et ærumnis, quibus mundi hujus homines implicantur; paupertatis nostræ requiem eda-

cibus divitum tristitias, ac pervigilibus curis, quibus non absque summo vite periculo diebus ac noctibus consumuntur, suavissimum jugum Christi, onusque levissimum facile comprobabis.» Hinc Septuaginta hoc loco vertunt, *dulcis est somnus servi*, id est obedientis, qualis est religiosus qui se ab omni cura liberavit, imo. æculus Psalms consilium jactavit super Dominum curam suam, *Psalms. lvi, 23*; ideoque dormit in utramque autem pacatissimus.

SIVE PARUM, SIVE MULTUM COMEDAT. — Non quod si notabilis in comedendo sit excessus, non possit somni quoque difficultatem pati; sed quia propter fatigationem et stomachum valentiorum, quamvis paulo fargius vescatur, indormiscit facile; nec quia parior sit cibus, laborat in somno expiando, laboribus lassatus, nam «fessos non pro irrigat artus.» Vehemens enim labor calorem concitat, humor liquatur calore; cerebrum calor petens ibi refrigeratur, ac densatus conciliat somnum; nimis item labor qui spiritus consumat, fit ut refrigeratum corpus opprimatur somno.

Ita ex Aristotele, Galeno, Tertulliano, Platone, Plutarcho, Plinio et aliis noster Lorinus.

SATURITAS AUTEM DIVITIS NON SINIT EUM DORMIRE. — «Saturitas» hic tum ciborum et deliciarum, tum divitiarum copia accipi potest: hæc enim parit diviti avaro mille curas et sollicitudines que non sinit eum dormire. Cura enim, sollicitans animum, agit in cerebro spiritus vitales, itaque vigiliam parit; juxta illud Virgilii, lib. *Georg.*

Somnos abruptum cura salubres.

Unde Septuaginta vertunt, *et ei qui repletus est discedendo* (Complutenses, *et repleto ditari*; Olympiodorus, *et pleno divitiarum dormire*, et Arabicus, *aviditas in divitiis non permittit ei ut dormiat*, Nam, ut ait S. Augustinus in *epist. S. Joannis*: «Implevisti domum, timentur latrones: acquisivisti aurum, perdidisti somnum;» et Thama-turgus: «Ecce pauper, inquit, quamvis senex sit, nec habeat quo ventrem suum expleat, placido tamen somno refocillatur, cœteri iniferi avaro vigilæ cruciatusque animi quietem excludant.»

S. Hieronymus et ex eo Aleuinus et Olympiodorus utramque saturitatem, sive copiam tam ciborum quam curarum accipiunt, g. d. Dives dapius distentus redundante crapula, et incocto cibo in stomachi angustiis eructante, atque insuper cogitationibus et curis pungentibus lancinans, dormire non valet. Sicut enim cibi indigesti in stomacho, sic et curæ atque anxie sollicitudines in mente molestos cunctant fluxus, qui omnem quietem eripiunt. Audi S. Ambrosium in *Psalms. 1*: «Quomodo potest dormire, qui sollicitam auri exercet custodiam? qui damna formidat? qui lucra cogitat? qui usuras computat?

qui hypotheas numerat? Idem, lib. *De Nabuth* cap. vi: « Natura, inquit, ipse nescit munia, nec somni novit vices: excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigili aliena raptendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infeundorum perturbat, sollicitat abundantia. Ne ipse quidem Deus ipsum dormire permittit: interpellat cogitantem, excitat dormientem. Sed nec ipse se quietum esse patitur, qui in ubertate fructus sollicitatur et vocem egenis emittit. Quid faciam, inquit? Nonne hæc pauperis vox est, non habentis subsidia vivendi? »

Porro Chaldaeus mystice per somnum accipit mortem, et per operantem colentem Deum: « Suavis, ait, somnus viri qui colit Dominum mundi, et est quietus in domo sepulcri ejus, sive paucos annos vixerit, sive multos; postquam servavit Dominum mundi in saeculo hoc, ad saeculum venturum mercedem operum manuum suarum hereditabit, et sapientia legis Domini erit viro diviti in sapientia. Ecce quemadmodum studuit in ea in saeculo hoc, et sollicitus fuit in doctrina: sic requiescat super eum in domo sepulcri ejus; et non deseret eum solum, quemadmodum non sinit uxor virum suum ut dormiat solus. »

Igitur cura sunt velut apum at vesparum examen, quod suo murmure et bombis, ac multo magis aculeatis icibus assidue pungit, vellicat, et tantum non eneant avaram.

Rursum, sicut culices, licet exigui, agminatim volitantes et in hominem involantes, sua armarum tuba et lancea: tuba qua resonant; lancea qua feriunt: sic multo magis utraque armata, in avaram noctu involant plurima anxiarum curarum agmina instar scorpionum Aegypti, *Exodi viii, 17*. Hinc etiam a poetis vocantur *mordeas* et *edaces*. Audi S. Bernardum, serm. 39 in *Cont.*, tumultuantem avaritiae curram graphice depingentem: « Avaritia rotis et ipsa vehitur quatuor vitiorum, quae sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio. Porro jumenta trahentia, tenacitas et rapacitas, et his unus auriga ambobus praesidet, habendi ardor. Sola siquidem avaritia, quoniam conducere plures non patitur, eum contenta est servitore. Ipse vero, injuncti operis promptus admodum atque infatigabilis exsecutor, urgendus sane jumentis trahentibus flagris utitur acerimis, libidine acquirendi et metu amittendi. » Hinc est ergo quod avari et divites, esto splendide epulati, æstuent tota nocte insomnes; et pauperes labore diurno fatigati, et frustulo panis contenti placidos hibernis noctibus somnos producant.

Moraliter, hic disce quam paritas, aequae labor, sit utilis et suavis: hinc vita agricolarum laboriosa eosdem facit robustos, hilares, honestos, sanos, sanctos; quare suavis et melius dormiunt. Magna enim somni est utilitas et suavitas: somnus enim vires restaurat et nutrit, aequae ac curas. Hac de causa « somnus dimidium vite no-

biscum partitur, » ait Philo. Unde S. Basilus apud Antonium in *Melisso*, part. I, cap. xlii: « Gratias age, inquit, illi qui nos mirabiliter per somnum ab assiduis laboribus recreat, et modica quietis beneficio rursus ad vigorem virium leodes domantem. Pausanias in *Corinth.*: « Nullus, ait, tam sevens est dolor, qui non sopiantur somno, » causamque reddidit, quod tum sopiantur sensus, qui dolores sentiunt; iidem somno roborantur, ut facilius dolores et labores ferant in vigilia. « Somnus, ait Cicero, lib. 1. *De Divinat.* est omnium laborum periculum » et « fumus domitor, » ait Menander. « Est enim anima, tanquam onus deponentis seque recreantis, et in recessum abdens, » ait Themistius. « Est vite portus, » ait Seneca in *Hercule fur.* « Est donum deorum et laborum oblivio, » ait Plutarchus, lib. *De Superstit.* « Est suave velamen oculorum et mentis, » ait Poeta. « Est junior et puerilis deus, » ait Euclides apud Stobaeum, *serm.* 6. Hoc somni bonum avaro excipit avaritia et diviti crapula. « Satorum enim divites non sinit eum dormire. Excitat enim eum cupiditas, excitat cura pervigili aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infeunda perturbat, sollicitat abundantiam, » ait S. Ambrosius, *De Nabuth*, cap. vi. In eo ergo impletur illud *Jerem.* xvi, 13: « Servietis diis alienis (mammona et ventri) die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. » Idem locum habet in superbo, invidio, rixoso, guloso et quovis peccatore.

Hoc est quod ait Siracides, cap. xxxi, 23: « Vigilia et cholera, et tortura viro infrenato; somnus saturitatis in homine paroo: dormiet in mane, et anima illius cum ipso delectabitur. » Vide ibi dicta. Quocirca S. Hieronymus vel quisquis est auctor *Exhort. ad Virgin.* cap. xxxv: « Tanta, ait, sit in sumendo cibo sobrietas, tanta talisque paritas, ut venter potius conqueratur quam gaudeat. Non egeat in digerendo stomachus medicinis, ructum potius vacuatio quam nimia repletio inducat. »

Unde S. Augustinus, lib. *X Confess.* cap. xxxi, ait: « Hoc me docuisti (Domine) ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumptus accedam; » ut sicut medicamenta non accipiuntur ad satietatem, sed ad salutem corporis, ita alimenta non ad satietatem, sed ad usum corporis sustentationem sumantur. Idque servabat S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus, cui (ut in ejus Vita legitur) nunquam curae fuit, ut pasceret corpus, sed ut sustentaret. Qui autem propter Dominum dabat carni suam panem arctum et aquam brevem, meruit pane vite et intellectus refulsi, cum fuerit sapientia clarus, et sui temporis doctor eximius.

Hinc Patres docent in refectioe corporis partem potiore dandam esse refectioe mentis, in pia lectione, vel cogitatione. Audi S. Bernardum

ad *Frates de Monte Dei*: « Cum manducas, nequequam totus manducas, sed corpore tuo suam refectioem procurante, mens suam non negligat, sed de memoria suavitatis Domini, vel Scripturarum aliquid, quod eam pascat meditando, vel saltem memorando, secum ruminat et digerat. » Et S. Basilus: « Inter epulandum hoc cavere convenit; ne holluantium speciem præberemus, sed et constantiam et mansuetudinem ubique retineamus, atque in percipiendis voluptatibus aequabilem continentiam, ne tum quidem porro ita animis esse fatiatis nos oportet, ut commentatione rerum divinarum vacemus: quippe qui alienenter occupatur, corporisque alii officium, argumentum habemus divinas laudes exordiendi, utique eum in mentem nobis venit, quomodo varia cibi genera corporum qualitati accommodata ab eo sint inventa, qui omnia moderatur et regit. » Hæc S. Basilus, *epist.* 1.

12. EST ET ALIA INFIRMITAS PESSIMA, QUAM VIDETUR SOLE: DIVITIE CONSERVATE IN MALUM DOMINI SUI. — « Infirmitas, » id est miseria, afflictio, erumina: S. Hieronymus, *linguor pessimus*; Symmachus, *morbus malus*; Olympiodorus, *gravis et intensus morbus*; S. Ambrosius, in *Psalm.* 1: *Languor malus*; Syrus, *infirmitas mali*; Arabicus, *est aviditas*; Valabius, *est malum atrox*; alii, *est agri-tudo mala*; Carpensis, *inveni aliud tristissimi mali genus.*

CONSERVATE IN MALUM. — Malum hic tum culpa accipi potest. Unde Aquila vertit, *in malitiam ejus*. Opus enim diviti sunt occasio superbie, gula, Luxurie, rapinae omniumque scelerum; tum potius pene. Unde Olympiodorus vertit, *in perniciem suam*; Figurina, *a suis possessoribus in ipsorum exitum.*

Est hæc sexta opum et avaritiæ vanitas, quod sint peritæ, ipsaque divitem affligant, ac subinde strangulent et necent, eo quod necis ipsius sunt causa vel occasio: nam divites saepe libibus vexantur, opibus multentur, quin et occiduntur, ut divites spoliuntur, sive a predonibus, sive ab injustis iudicibus et principibus, sive a sociis, etc., ut Naboth occisus est ab Achab, ut ejus vineam possideret, III *Reg.* xxi. Narrat Plutarchus in *Parallelis*, Brennum Gallorum regem rogasse suos milites, ut in sinum avaritiae virginis, quam ad-mabat, amorem tamen plus auri, quam regis, aurum, quæ gestabant, immitterent: quo factum est ut auri vi auri vivens obrueretur. Ita auro suo suffocantur opulenti.

Quocirca Thaumaturgus vertit, *reconditis opes conservare esse centenorum malorum occasiones sibi ipse custodire*. Timotheon Graecus poeta lyricus versipiti carmen adversus Platum deum divitiarum, in quo ita canit: « Utinam, o cæce Plute, neque in terra, neque in mari, neque in continentibus comparares; sed Tartarum habitares et Acherontem! Propter te enim omnia inter homines mala. »

Audi S. Ambrosium, in *Psal.* 1: « Avaritiæ languor, inexplibilis cupiditatis languor. Istæ divitiæ sunt, ut dicit Ecclesiastes: Est languor malus, quem vidi sub sole: divitiæ consistunt in malum possidentis eas. Die mihi, o Ecclesiastes, qua ex causa malus hic languor sit? Respondit: Quia multos avara spes devoravit. Insatiabilis edacitas cupiditatis est, necit satiari argento, qui concupiscit argentum. Distendant divitiæ, non explent, et si quis satatus fuerit divitiis, non est, inquit, qui sinat eum dormire. Et quidem omnes dies ejus in tenebris et luctu, et iracundia multa, et languore, et ira. »

Unde concludit: « Malus ergo languor, qui bonam auri mentis quietem. » Quocirca per « malum domini » accipi etiam potest cura, sollicitudo, afflictio, quam opes afferunt heredo, dum, ut ait S. Ambrosius, lib. I *De Cain et Abel*, avarus « elementa concutiit, mare solvit, et terram effodit, oculum votis fatigat, nec sereno gratias, nec nubilo, condemnat proventus annuos, festusque terrarum arguit. »

benigne Chaldaeus per malum hoc avari accipit supplicium futuri saeculi: « Est, inquit, perniciosis malum, quod vidi sub sole, cui medicina non est: homo qui divitiis congregat, neque eas ad pietatem confert, parum sibi pendens dierum suam. Hæc enim substantia illi in perniciem venturo saeculo servatur. »

In futura enim vita avari torquebuntur summa pauperie, inopia, fame, siti in igne gehennæ, ut torqueatur dives epulo; quod representantur poete per Tantulum, qui sitiens in modis aquis usque ad os pertingentibus, nunquam tamen sinitur ore eas haurire, et sitim resinguere.

Audi Salvianum, lib. I *Ad Ecl. Cathol.*: « Avaro, inquit S. Scriptura, nihil est sedestius, et pessimum ac ferissimum morbi genus: Divitiæ conservate ad malum domini sui: verum est, quid enim pejus, aut quid miserius, quam si quis presentia bona in futura mala convertat, et que ad hoc a Deo data sunt, ut pararetur eis vite beatitudo perpetua; per hæc ipsa queratur mors ac damnatio sempiterna. »

Tropologice, hæc per divitiæ accipit copiam scientiarum et virtutum, quæ conservantur in malum domini, cum ipse his ad vanitatem vel glorie, vel lucri abutitur.

Noster Alvarez de Paz, lib. 2 *De Vita spirit.* part. II, cap. xii, per divitiæ accipit copiam gratiarum ac mediocrum omnium ad perfectionem, quibus abundat religiosi; sed dum his per accidam uti negligunt, cedunt illi in majorem damnationem. *Ecl. v, 12*: « Divitiæ conservate in malum domini sui. »

Hanc gnomen illustri pavonis et corvi apologet, aureis gnomis velut gemmis intersuncto, repræsentat S. Cyrillus, lib. III *Apolog. Moral.* cap. xvi: « Pavonem, inquit, pennis aureis undique spoliatum cum corvus aspiceret, deridens dompo-

sum et olim divitem, dixit: Ubi est miris pieta luminibus desiderabilis tua penna? quoniam abiit alarum splendentium gloria? quove plumarum gemmantium fugit mirabilis ornatura? At ille minus patiens, illusoris verbis indignatus, respondit: Quoniam insatiabilis humanæ cupiditatis vorago penarum opes absorberit, nature tamen beneficio ars reparatrix non deerit vere liberalis. Unde licet pennis modo privatus sim, spem tamen recuperandi non perdidisti, tu vero semper miser es. Cui ille: in adversis, ut video, calamitas tua calamitatibus non eruditur. » Ameniam deinde pavonis exaggerans subdit: « Jam decaudatus es, et unde acciderit non vidisti; depauperatus es, et unde damnatum evenerit non sensit. Malum mirime te docuit: quamobrem absque moderamine crescit. Revera prædilecta penna odibilem te reddidit, et placida cauda te debonestavit, atque adeo tua tibi opulentia quid nisi paupertas fuit? etenim quia hanc habuisti, perdidisti, et iterum concupiscis unde cum doloribus expolieris infelix. » Unde hoc epimythium, velut scopum fructumque apologi colligit: « Quare non habere melius est quam rem desideratam perdere; dignas certe gratias letus ago nature, quod pennam mihi pauperem dederit, ac tali natura puto me esse divitem. Nam hoc modo meus sum, et nemini in prædam dilectus. Nigra penna illustrat me, et pluma pauperula me dilat, ac spreta caudula tutatur. Verum te divitiæ tuæ pauperem faciunt, desiderabilitates odiosum, delicatæ dolorosum, gloriositates inhonestum, felicitates miserum et exrescentiæ minoratum. Maledicte igitur sunt tales divitiæ, que summum depauperant, decedant et vituperant possessorem. Quarum nempe convertitur in nuditatem possessio, in dolorem dulcedo, in confusione in gloria, et decore in deformitatem. Gaude igitur, si prudens es, quod hostiles opes amiseris, nec eas ultra appetas, sed opulentum iudices te, si illis careas. Quibus eruditum ditavit depauperatum magister. »

43. PEREUNT ENIM IN AFFLICTIONE PESSEMA. — *Tō pereunt* nequit referri ad *domini sui*; sic enim dicendum fuisset: *perit dominus*; quare referendum ad *dominum*. Unde Hebræa habent, *perit opulentia illa in occupatione mala* (1); et vetus editio S. Hieronymi habet, *perierunt divitiæ illæ in distensione pessima*.

Sensus est, quasi dicas: Opes sepe conservantur in malum domini sui, quia illi pereunt, id est, ab eo vi, vel fraude, vel naufragio aliove casu auferuntur, eumque pauperem relinquunt, affligunt et cruciant, ac subinde perire faciunt perduntque, dum propter eas vita spoliatur. Unde illud S. Augustini: « Quod non capit Christus,

(1) *Occupatione mala, seu negotio malo, id est, per causas infelices; alii, eo quod male adhibentur et administrantur.*

rapit fiscus; » et: « Avarus, dum colligit, colligitur; dum vult esse prædo, fit præda, » ad idem S. Augustinus in *Psal. xxxvii*. Apposite Plutarchus, opus. *De Cupid. divit.*, cupiditatem avarorum nuncupat asiniam et fornicariam: quæ sicut asinus ad balnea ligna comportans, fumo semper oppletus et favilla, in nullam lavacri, caloris munditiæque partem venit: sic avaritia hominem eviscerat labore, ut ditescat, et tamen nunquam divitiis suis satiatur. Comparat præterea cum muribus, qui vorant in metallis chrysidem, nec eam reddunt nisi mortui et dissecti; item cum figlinis canalibus, qui nihil in se retinent: sic enim avari coarctant multa, ut hæredibus relinquunt; et hi alii, sicque deinceps.

Præclare S. Chrysostomus, hom. 10 in *epist. ad Hebr.*: « Intuere, ait, quanta fiant mala propter pecunias, quod affectione et passione quantum tenemur circa eas: verbi gratia, si perdit aliquis pecunias, vitam ducit omni morte pejorem. Quid doles, o homo? quid lacrymaris, quia te a cura custodiendi superflua liberavit Deus? quia non sedes tremens et metuens? Die itaque si te quisquam alliget ad thesaurum, præcipis ut illi semper assideas, vigilem curam alienis impendas, nonne doleres et difficulter ferres? Tu teipsum alligaveras vinculis pessimis, et quia illa servitute liberatus es, doles. » Idem, hom. 33: « Propterea Deus abstulit tibi divitias, ut te liberet a pessima servitute. Nam et pater optimus, cum viderit filium amore meretricis alicujus deperire, si admonitiones ejus audire neglexerit, illam meretricem de medio auferens in exsilia longinqua detrudit. Talis est etiam abundantia divitiarum. Curam igitur de nobis gerens verus pater et optimus Dominus, volens nos ab hæcæ liberatione, auferat nobis pecunias, quarum amore mens nostra corrumpitur. »

Pro afflictione pessima hebraice est in *occupatione mala*, quod aliqui accipiunt de vitio et peccato, q. d. Divitiæ sepe pereunt diviti, eo quod per scelus, puta per usuram, fraudem, rapinam, injustum contractum sint comparatæ, juxta illud S. Hieronymi, *epist. 160 ad Hedib.* Quest. I: « Dives, aut iniquus est, aut iniqui hæres; » et illud Platonis, lib. V *De Legib.*: « Servus nobis reus, id est verus, quod admodum divites non sunt boni; » et Menander: « Nunquam vir æquus dives evasit cito. » Unde Chaldaeus vertit, *quia enim malis artibus comparaverit, in filium ejus non confirmabitur, nec illi quidquam erit reliquum.*

Melius tamen Noster per *occupationem malam* accipit afflictionem pessimam; et Sargagina, *distensionem pessimam*; Campensis, *percutit divitiæ postquam dominus suos graviter afflixerunt*. Affligitur enim avarus sollicitudine in conservando et augendo suas opes, dolore vero ac morore in perdendo, dum videt eas sibi a furibus, vel principibus, vel amicis, vel æmulis, vel casu adverso eripi.

GENERAVIT FILIUM QUI IN SUMMA EGESTATE ERIT. —

Hebraice, Græce, Syre et Arabice, et non est in manu ejus (1) quidquam; Tigurina, qui prorsus nihil habuerunt; Campensis, neque enim ipsis, neque filiis eorum quidquam reliquum fuit; Chaldaeus, et liberis post mortem dimissa hæreditas omnino peribit. Est nova hæc divitis avari afflictio, quod videat divitias perire non tantum sibi, sed et filio, ut eum in summa egestate relinquat: quia scilicet perierunt opes, sive furto, sive casu aliquo parenti; aut quia filius eas prodige consumpsit; vel quia filius patrem secutus sordide opibus inhiat, nec audet iis uti, sed fame et ærumnis tabescit, ut opes intactas conservet. Porro communiter magis affligit parentes egestas ac damnatum filiorum, quam propria. Hinc in Anglia vidimus catholicos nonnullos, qui fortes steterant in tormentis, a fide defecisse, ne spoliarentur bonis et nobilitate, ac cogerentur filios relinquere pauperes et ignobiles. Durum enim parenti est a filiis et nepotibus jugiter audire: Tui causa sum miser, egeni, exsules, ignobiles: tu perdidisti et exstinxisti decus familie nostræ. Per te perit nobilitas totius prosapie nostræ; cum ex adverso homini si solus sit et illiberis, facile sit et gloriosum ob amorem Dei, fidei et religionis orthodoxæ perire fortunam, nobilitatem et vitam. Hoc enim est laus et gloria martyrii.

Est hæc septima vanitas opulentiae et avaritiæ; sequitur octava.

14. SICUT EGRESSUS EST NUDUS DE UTERO MATRIS SUE, SIC REVERTETUR, ET NIHIL AUFERET SECUM DE LABORE SVO. — Arabice, et nihil reperit ex labore suo, ut vadat portans illud in manu sua; sic fere Hebræa, Septuaginta et Syrus (2). Unde S. Hieronymus, nihil accipit ut teneat in manu ipsius; Vatablus, ut discedat sicut venit; Campensis, ita nudi eo revertentur unde prodierunt, nec ulli quidquam eorum hinc secum asportant, que tantis molestiis acquisierunt, q. d. Tam pater depauperatus qui genuit filium, quam filius quem in egestate reliquit, nudi revertentur in terram moriendo, sicut ex ea nudi prodierunt nascenti, nec quidquam eorum que tanto labore corrogarunt, secum auferent, juxta illud: « Nudus egressus sum de utero matris mee, et nudus revertar illuc, » Job 1, 21. S. Cyprilianus, tract. *De Mort.* legit: « Nudus exivi de utero matris, nudus etiam redibo sub terram. » Et illud: « Nihil intulimus in huic mundum: hanc dubium quod nec auferre quid possumus, »

(1) *Ejus, patris an filii? prius videtur anteponendum, hoc sensu: Filium gignit, cui nihil sit relicturum.*

(2) Hebr. est, *quod madmodum egressus est homo, tum ille dives, tum homo quisque, ex utero matris sue, nudus scilicet, ita nudus redibit ad eundem, id est iterum abibit, quem admodum venit. Et quidquam non tollet, auferet mortuus ex labore suo, quod ille faciat, id est abducat, manu sua. Similiter Propertius, lib. III *Carm. v. vers. 13, 14:**

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas;
Nudus ad infernas, stulte, venere rates.

I *Timoth. vi, 7*; et illud: Dives « cum interierit, non sumet omnia (non omnia, id est nihil, est Hebraismus); neque descendet cum eo gloria ejus, » *Psal. xlviii, 18*. Omnes ergo opes, omnes pompæ, omnia bona hujus mundi sunt exuvia cuique extendenda in morte. Idem videre philosophi: Seneca, lib. *De Moribus*: « Omnes infantes, inquit, terra nudos excipit. » Plinius, initio lib. VII, comparans hominem cum cæteris animalibus, quod inter cuncta nudum et inermem natura generavit: « Hominem, inquit, tantum nudum, et in nuda humo, natali die abijcit ad vagitus. »

Nota: *Tō sicut vim* habet comparationis et illustrationis, q. d. Ex eo quod nudi nascimur, liquet vestes, opes ceteraque bona, que mundus hic nobis ministrat, non esse nobis propria, sed commodata, et ad usum concessa, quamdiu hic vivimus: quare non loet nobis, dum abimus et morimur, ea nobiscum asportare, perinde ac famulus qui init domum principis, accipit gladium, pallium et vestes principis dignas; ac ubi domum deserit, eadem in illa regione et reddit, quasi ad tempus servitii commodata, et aliena, non propria.

Porro Chaldaeus exponit divitem e vita egredi nudum, quia egreditur sine meritis Donorum operum, que neglexit ex avaritia, aecidia, gula, etc.

45. MISERABILIS FRONSUS INFIRMITAS! — Hebræa, mala, i. e. pessima, infirmitas, de quo vers. 12. Alius vertit, *etiam malum hoc dolorosum*; Tigurina, *malus est ille morbus*; Vatablus, *istud etiam supplicium laboris plerumque*; Campensis, *sed et hoc etiam triste malum est*; Chaldaeus, *malus morbus, cui non est medicina, vel cui mederi non possumus*. Est epiphonema humanæ miserie, quam per sequentia exaggerat; licet enim eam omnes mortales experiantur, tamen maxime sentiunt divites et avari, quibus in morte grave tormentum est opes alio adamatas et tanto labore partas relinquere, nec quidquam ex eis posse secum, vel ad vaticum efferre.

QUOMODO VENIT, SIC REVERTETUR. — Pro *quomodo* hebraice est *כַּחַל אֲמֹנָתָא*, quod Cajetanus vertit, *omnis contra, vel e regione*; unde vertit, *omnis contra, vel iuxta quod venit, sic abiit, q. d. Quilibet homo eo modo quo venit nascenti sine opibus, sic ibi moriendo; venit obviando nuditati, nudus abiit obviando pariter nuditati, quæ nudum natum, nudum pariter morientem recipiet. Est prosopopeia, fingitur enim nuditas, quasi persona et mater, omnes homines nudos in vitam emittere, dum nascuntur, et nudos recipere, dum moriuntur. Alius vertit, *omni pacto, vel omnibus modis sicut venit, sic abiit*; Tigurina, *omni respectu, sine oppositione qua venit, id est plenissime, eo prorsus modo quo quisque in mundum venit, ita egreditur*; Campensis, *omnes quo modo intraverunt in mundum, eo et relicturi sunt mundum*; Campensis, *omnium rerum est vicissitudo*: כַּחַל*

mat enim significat conjunctionem, consequentiam, necessitudinem, societatem, similitudinem. Unde קרית *amith* vocatur socius. Igitur ad verbum proprie sic vertas, *omni congruentia et similitudine sicut venit, sic revertetur*. Forse etiam Mosserote male per diastelen duabus dictionibus scripserunt *col unmat*, cum per sietolen una dictione scribendum videatur כריתת *kitannat*, id est ad verbum, *secundum congruentiam*, vel similitudinem, id est sicut, similiter, ut certit Noster, Septuaginta, Chaldeus, Syrus, Arabicus ceterique omnes. Summa *kitannat* significat summam congruentiam, convenientiam, similitudinem in auditate nascendi et moriendi, quod homo, sicut prorsus nudus natus est, sic prorsus nudus moriatur et abeat e mundo. Hinc gentiles olim morientem duntaxat in os inerebant, ut eum pro nauo solveret Charontis, qui defunctorum animas per Stygem et Acherontem devehit ad inferos, ut refert Lucianus, dial. *De Luctu*, quo significabat eum plene nudum, solum, ab omnibus desertum, et omnium rerum inopem, gementem et plorantem, omniumque injuriis expositum, uti natus fuerat, ita mori et redire ad terram communem omnium matrem, æque ac sepulcrum. Chaldeus addit eum redire, ut venit, experient meritorum: *Sicut, ait, venit in mundum homo meritis periturus, sic in aliud sæculum pergit*.

QUI ERGO PRODEST EI QUOD LABORAVIT IN VENTU? — Pro prodest hebraice est פרוץ *vitron*, quod Septuaginta vertunt, *quæ abundantia, quæ laborat in ventum*? Syrus, *in spiritum*; Symmachus, *quid igitur amplius ei qui laboravit?* Velus editio S. Hieronymi, *quæ abundantia ejus qui in ventum laborat?* Arabicus, *quæ presentia ei qui laborat ventis?* Tigurina, *quid opera pretium contigit ei qui vane labores impendit? alii, quid utilitatis, vel quid supererit ei?* Campensis, *quid proderit animum hic variis curis afflictis?* Chaldeus, *quænam accessio ei esse potest, quod laboravit ut ventum aucuperetur?* Olympiodorus, *quid laboras in ventum, cum sint divites prorsus instabiles, et aquatili bulla cum detumescent perstantes?*

Sic Zachar. vi, regna splendida eorumque opes et gloria comparantur vento, quia instat ventorum fuga sunt, contraria, et contra se mutuo conflictantia, impetuosa, abeuntque illico in fumum et ventum. Addit Tietmannus: Quia ventus dispergit congregata, ut nullus sit eorum usus; et Thaumaturgus: Ventus, ait, notat impetum et ardorem quæ cæres congregavit opes, illico cum opibus transire, et tenues vanescere in auras. Jam cogita quanta sit miseria, afflictio et mentis ægritudo operario, qui post asininos plurimum annorum labores, sine mercede, sine veste, nudus domo exturbatur! Quanta sit agricole, qui post assiduos et maximos hiemis labores nudus, infirmus et famelicus agro messeque sua expellitur, ac scito similem esse divitis avari in morte.

16. CUNCTIS DIEBUS VITÆ SUE COMEDIT IN TENEBRIS, ET IN ERUNNA MULTIS, ET IN ARUNNA ATQUE TRISTITIA. —

Septuaginta, et *quidem omnes dies ejus in tenebris, et in luctu, et iracundia multa, et languore, et insania*; Syriacus, et *etiam omnes dies suos in tenebris comedit, et in furore multo, et in ira, et tristitia atque infirmitate*; Arabicus, et *propterea omnes dies ejus in tenebris, et lamentationem, et in iram multam, et infirmitatem; et amaritudinem* (1).

Lyranus hanc gnomen refert ad divitem qui perdidit divitias, vers. 12 et 13. Inde enim oratio continuo filo deducitur hæcque, *q. d. Bives avarus, qui perdidit opes suas, versatur in tenebris et luctu, id est juri dolo, et quodlore contabescit*.

Alii tamen passim generatim accipiunt de avaro qui collectis opibus avare inhiat; quasi dicas: Avarus non tantum cum moritur, aut cum perdit opes, sed et cum vivit opibusque abundant, misere et sordide vivit. At cur « comedit in tenebris »?

Respondet primo Chaldeus, *in tenebris habitat; ut panem suum solus comedit*. Addit Glossa interlinearis, *abscondite et in marore, q. d. Solus secreto in tenebris comedit, ne in publico cogatur splendi dius cum aliis vivere*.

Secundo, quia adeo per diem distinetur negotiis, moricimoniis et lucris, ut non prandeat nisi obiter, sed tantum cenet noctu, uti in Belgio plures mercatores facere scio. Ita Cajetanus.

Tertio, Hugo tres affert causas: *primam*, quia differt comedere in cenam propter hospites; *secundam*, ex pudore, quia tam viliter comedit, ut pudeat eum in die et luce comedere; *tertiam*, ex avaritia, ne bis comedat per diem: sic velens ex temperantia semel tantum, teste Platone, comedebat in die, idque vespere, ut diem totam darent actioni vel studio et contemplationi, uti fecere essenii, sive primi christiani Alexandriae sub S. Marco, teste Josepho, Eusebio, S. Hieronymo et aliis. Idem fecit S. Antonius, S. Hilarius et plures anachoretæ, quos pudebat per diem comedere instar animalium, quia mentem pascabant deliciis angelorum; vespere ergo cibum sumebant. Idem etiamnum faciunt nonnulli viri valde studiosi et religiosi.

Quarto, notat avaritiam luminis. Avari enim ut oleo parant, noctu exiguum habent lumen, ad quod operantur et comedunt. Unde Lucianus in *Timone* graphicè depinxit eos, « qui parentem asservarentque ad fuliginosam et oris angusti lucernulam ac sicculosum scripticulum usuris vigilantem. » Novimus mercatores ditissimos qui famulos magnis clamoribus objurgabant, quod elychnium densius facerent ad majus lumen, querentes illud plus olei sugere et consumere. Ae rogati causam, responderunt se minima ista curando et cavendo ad tantas opes evasisse.

Quinto et genuine, tenebra notant avari sordem et squalorem vitæque obscuram, atram, tristem et mestam. Unde eas explicans subdit: « Et in

(1) *Lege וי, ægritudo animi, et כעס, indignatio, cum veteribus et uno codice.*

curis multis, et in ærumna atque tristitia: » harum enim symbolum et causa sunt tenebræ, sicut ex adverso lux symbolum et causa est libertatis, alacritatis et lætitiæ. Unde Septuaginta habent, *omnes dies ejus in tenebris et luctu*; Arabicus, *in tenebris et lamentatione*; Thaumaturgus, *hujusmodi hominæ dves tenebræ sunt, ac vita luctus; Campensis, sordide vivit*.

Mystice, arævus vivit in tenebris, id est in ignorantia, ait Olympiodorus; in malis culpe et pœnæ, ait Dionysius. S. Ambrosius, lib. *De Nabuth*, cap. viii, notat a S. Luca avaro recte dici: « Stulte, hæc nocte repetunt animam tuam a te. Nocte enim anima avari repositur, quæ a tenebris incipit, et in tenebris perseverat. Avaro semper nox est qui sicut luna mulatur, dies justo cui dicitur: Hodie mecum eris in paradiso; » et « Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris. »

ET IN ERUNNA MULTIS. — Hebræa, *in ira multa*; Septuaginta, *in indignatione multa*, hanc enim pariunt curæ multe. Unde dicta est *cara, quod car edat, vel carurat*, ait Festus; hinc cura vocatur *edax et mordax*. « Cura, ait Donatus, est in spe bonorum, sollicitudo in metu malorum. » Vere S. Bernardus: « Humana vita, ait, plena est dolore preteritorum, labore presentium, timore futurorum. »

ET IN ARUNNA. — Hebræa, *et in infirmitate, vel languore, vel dolore suo*; Chaldeus, *in agrotationibus*; Septuaginta, *in iracundia*; Olympiodorus, *in tristitia iracundia*: ægritudines animæ enim præcipue sunt in tristitia et ira; Vatablus, *quæ præ indignatione et ira frequenter incidit in morbum*; Campensis, *seipsum crucians*.

Ærumna est molestia, miseria, afflictio perseverans. « Ærumnosus a ruminæ dictus, quod per inopiam miser factus esuriat et siliat, » ait Isidorus, lib. X *Orig.*, *q. d. Ærumnosus est, qui nihil habet quod comedat et ruminet*; Festus vero: « Ærummulas, inquit, Plautus refert forecillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant; quarum quia C. Marius retulit usum, multi Mariani postea appellabantur. Itaque ærumnæ labores onerosos significant, sive a greco sermone deducuntur; nam *ærum* grece, latine *toltere*, dicitur. » Hæc Festus, Cicero, IV *Tuscul.* xxix: « Ærumna, ait, ægritudo laboriosa. » Idem, lib. II *De Finibus*, cxxxvii: « Vel Heculis perpeti ærumnas (sic enim majores nostri labores non fugiendos, tristissimum tamen verbo ærumnas etiam in Deo nominaverunt) exigentur ex te. » Plautus, *Amphitr.*: « Uno ut labore exsolveret ærumnas duas. » Sic postea ærumnas vocant labores. Plautus in *Persa*: « Superavit ærumnis ærumnas Heculis. »

Plurimæ sunt ærumnæ avari: una non minima est, quam refert R. Hæcæados, scilicet quod in paupertate et omnium rerum indigentia velit vivere, ut possit mori in opulentia, ac rerum quas relinquere cogit, abundantia et copia: quare « avaritia neque copia, neque inopia minuitur, » ait S. Hieronymus.

ATQUE TRISTITIA. — Sic et Syrus; Arabicus, *in amaritudine*; Hebræa, *in indignatione, vel furore, quæ est ira bellens, fervens et spumans instar maris æstuantis*. Unde Septuaginta vertunt, *in irasania*; Campensis, *simulatus excoerent*.

Cognate sunt et sociæ passiones, ira et tristitia; ira enim pari tristitiam, dum iratus nequit malum, ob quod irascitur, depellere. Viessim tristitia gignit iram; tristis enim irascitur malo quod illi tristitiam offert. Unde Olympiodorus: « Tristis, ait, iracundia stimulat, et levi occasione in contentionem surgit, et excoerescit animi gravi ægritudine occupatus. » Adde atram bilem naturaliter mixtam esse cum flava; quæ ubi abundat una, emicat et altera; atra autem illis in corpore causat melancholiam et tristitiam in anima, flava vero iram et indignationem. Curis avarus angitur, ait Hugo Cardinalis, ut acquirit; ærumna, ut conservet; tristitia, si amittat; sæpeque præ indignatione incidit in morbum. Vel in curis multis, inquit Bonaventura, propter sollicitudinem, sicut et solitudinem in tenebris; in ærumna, propter expensarum tenuitatem; in tristitia, propter expendendi necessitatem. Eleganter Vivianus vertit:

Vita tenebris obsta
Vix dulces cunctum pertulit,
Omnia querelis, omnia
Angore plena, atque miseria
Contentiosum fluctibus.

Et S. Hieronymus: « Languor est pessimus pro perituris opibus cogitatione torqueri, « in tristitia, in genita, in indignatione, in litibus, casso illas labore conquirere. » Unde Lucianus in *Somnio*, sive *Gallo* exclamat: « O miser, ejusmodi vivit vita! pallet totumque exaurit, atque extenuatus est curis: neque enim audivimus esse illum alioqui male habere. Hostibus eveniat ad hunc modum divites esse. »

Hinc divitie a Christo vocantur spine, *Math.* xiii, 22, quia ut spine acutissimæ, acres dolorum aculeos animo æque ac corpori infligunt et infligunt, quibus hominem assiduis stimulant et pungunt, ut pulchre docet S. Gregorius, homil. 15 in *Evang.* Audi et S. Chrysostomum, homil. 3 in *epist.* II ad Thes.: « Irrationalium camelorum cibus sunt spine, alimonia sunt ac sumptus ignis ad nihil utiles: tales sunt divitæ, nulli sunt usi nisi ad incendium camini; ad secundum ejus diem, qui ardebit velut elæmus, ad alimonia afflectionum irrationalium, utpote injuriarum memoriam et iram. Talis est etiam camelus spinis vesrens: fertur etiam ab his qui talia viderunt, nullum esse ex omnibus jumentis, quod ita injuriarum acceptam tenaciter continet, ita difficilis ire sit, ita malum illatum recordetur, ut camelus. Tales sunt divitæ, irracionales animi affectiones pascant: rationales vero pungunt ac vulnerant, quemadmodum spine faciunt.

Idem, homil. De Avaritia, tom. V: « Divitia,

ait, dum includuntur et desolantur, acris rugiunt a pari leonibus, perturbantque omnia. Quod si eas et tenebris eduxeris, et in egenorum ventres disseminas, ex feris bestias fiunt oves, quae fuerant insidiosae duces; pro scopolis, fiunt portus; pro naufragio, tranquillitas. »

Hanc gnomen, quae ad litteram dicitur de avaris, a pari adaptes superbis, gulosis, acedis, invidis, iracundis, quin et vanis scientiarum studiosis. Hi enim uocates diesque pervigilant, ut honores, delicias, otium, eminentiam, vindictam et vanam scientiam assequantur, atque ita omnem salutem frustra consumunt, miserieque eam tradunt « in tenebris et in curis multis, et in ærumna atque tristitia. »

17. HOC ITAQUE VISUM EST MIHI BONUM, UT COMEDAT QUIS, ET BIBAT, ET FRUATUR LETITIA ET LABORE SUO, QUO LABORAVIT IPSE SUB SOLE, NUMERO DIERUM VITAE SUAE, QUOD DEDIT ET DEUS: ET HEC EST PARS ILLIUS. — Hæc gnomen et sequens explicatas sunt cap. ii et iii. quare paucis eas expediam. Est enim conclusio subinde repetita, quæ ex vanitate opulentiae et avaritiæ concludit, se experientia didicisse satius esse moderate et honeste opibus labore suo partem uti, quam eas avaro recondere in nullum vel insertum incerti heredis usum. Hebræa, ecce quod vidi ego bonum, quod est pulchrum considerare et bibere et cernere bonum. S. Hieronymus, cernere jucunditatem, id est frui jucunde et lete rebus labore suo partem. Arabicus, hoc est bonum, quod est optimum, comedere, etc. Syrus, bonum erit quod et decorum est; Vatablus, bonum est honestum; Campensis, meo ergo iudicio suavius est comedere, bibere et frui bonis inter has miserias, quibus affligimur sub sole, paucis diebus illis vitæ nostræ, quos nobis Deus concessit; quia nihil amplius ex omnibus accepturus est homo. Chaldaeus vero per cernere bonum vel bonitatem accipit, tam benefacere, quam frui bonis; unde vertit, ecce quod mihi visum est bonum: frui hominum, et quod pulchrum est eis, ut faciant in hoc seculo, ut comedant et bibant ex laboribus suis, et non extendant manum suam ad violentiam et rapinam; et custodiant verba legis, et ut misereantur pauperum et peregrinorum, ut videant bona sua in omnibus laboribus suis, quibus laboraverunt in hoc seculo sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit eis Deus sidere bono, quoniam hoc est pars illius, et non est aliud præter eum. Et Thaumaturgus, non negaverim etiam opes bonas esse: Dei enim donum est, si homo lete fruatur laboribus suis, modo opes illæ a Deo sunt concessæ. Talis enim beneficium in omnes est animo, et in munere divino exsultat, et omnem vitam suam bonis operibus ac largitionibus adornat.

Vivianus stricte, sed acute:

Dixi hunc beatum, qui laet
Nihil vitæ temperet
Modico labore et gaudio.

Nam, ut ait S. Hieronymus et ex eo Aleuinus
« Licet parva voluptas sit in fruendo, tamen »

qui opibus suis in curarum tenebris vescitur, et cum grandi desiderio peritura comparat, tantummodo est sollicitudinum magnitudo. » Et Olympiodorus: « Debet, ait, te, o avaro, etiam id cogitare, quod paucos et numerabiles tibi dies ad vivendum dedit Deus. »

NUMERO DIERUM. — Symmachus, ψηφον, id est calculo, quasi calculo et suffragio Dei diu stes sua cuique dies. Rursum quod calculo deditur divini numerati et definiti sint cuique dies vitæ, juxta illud: « Breves dies homini sunt, numerus mensium ejus apud te est: cotinuas terminos ejus, qui præteriri non poterunt. » Job xiv, 5.

ET HEC EST PARS ILLIUS. — « Pars, » i. e. sors, ut dixi superius. Allegorice et analogice Olympiodorus: Pars liberalis est hereditas glorie in cælis illi decreta, et stabilis perpetuo duratura: « Ea vero est, inquit, dispergere pauperibus opes suas, et de hujusmodi dispensatione solidam lætitiæ capere. »

18. ET (1) OMNI HOMINI, CUI DEDIT DEUS DIVITIAS, V ATQUE SUBSTANTIAM, POTESTATEMQUE EI TRIBUIT (eximendo ai avaritiam, et dando ei cor lætum et liberale, ut andeat suis frugaliter et liberaliter uti et frui) UT COMEDAT EX HIS, ET FRUATUR PARTE SUA, ET LETETUR DE LABORE SUO: HOC EST DONUM DEI. — Pro potestatem et tribuit. Hebr. est חסדו חסדו, id est, dominari eum fecit suis divitiis; Tigurina, eumque dominum præfuit, ut comedat ex eo; Campensis, dedit et animam. Debet enim homo prius dominari animo suo, id est cupiditati suæ, ut dominetur suis opibus. Significat avaros opum non esse dominos, sed servos; liberales vero esse dominos.

Nam, ut ait Seneca: « Avari non tam dicendi sunt habere divitias, quam haberi ab illis: divitiæ apud sapientem in servitute sunt, apud stultum in imperio. » Chaldaeus, omnis quoque homo, cui dedit Deus divitias et substantiam, et potestatem dedit ei Deus, ut comedat ex eo in hoc seculo, et ut faciat ex eo elemosinam, et ut recipiat mercedem perfectam Patris sui in seculo venturo, et gaudeat in labore suo cum justis: ecce hoc ñtem est, quod datum est ei sidere bono suo a factis homini.

Et Thaumaturgus, Dei beneficio homini contingit ut laboribus suis cum animi oblectatione perfruat, divitias acceptas, ac non vi exortas opes possidens. Neque enim ille meritoribus offertur, nec ut plurimum malis et perditis cogitationibus vitam suam meliorem, in omnibus rebus animi tranquillitate fruens, atque ob Dei donum lætitia gestiens.

HOC DONUM EST DEI. — Campensis, hoc ingens donum Dei est, longe majus quam sint ipse opes.

Hinc S. Prosper probat bonum usum opum esse donum Dei; sic enim ait lib. I De Vocat. gent. xxiv: « In libro vero Ecclesiastæ dicitur, quod et habere necessaria, et eis bene uti, donum sit Dei. Non est, inquit, bonum homini, nisi quod

Deus
usus o-
pium sit
Dei
gratia
Dei.

1) Et, gall. ENCORE cela est-il un don de Dieu.

manducet et bibat, et ostendat anime suæ bonum in labore suo. Et quidem hæc vidi ego, quia a manu Dei est. Quoniam quis manducabit aut pascat absque illo? Item in eodem libro legitur quod eordia et opera iustorum in manu sint Dei, et tantum in studiis suis pronunciant, quantum ille donaverit. Quantumcumque laboraverit homo ut querat, non inveniet; et quodcumque dixerit sapiens ut sciat, non poterit invenire: quia universam hoc dedit in cor meum, et cor meum universum hoc vidit, quia et justus, et sapiens, et operationes eorum in manu Dei. In libro autem Sapientiæ de eodem gratiæ opere dicitur, quoniam ipse et sapientiæ dux est, et sapientum emendator. In manu ejus enim et nos et sermones nostri, et omnis sapientiæ et operum scientiæ et disciplina. De continentia quoque quod ex Dei habeatur munere eadem Scriptura sic loquitur: Ut scivi quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus eset hoc donum. »

Jam si bonus usus opum est donum gratiæ Dei: ergo pariter donum Dei est bonus usus scientiarum, honorum, officiorum, statuum, prefecturarum, etc., eoque majus, quo inajus bonum est scientiæ, honor, officium, status, prefectura, etc., quam sint opes: presertim, quia isdem ad majus republicæ bonum vel malum uti, vel abuti possumus; ad utrumlibet enim magis idoneæ sunt, quam sint opes.

19. NON ENIM SATIS RECORDABITUR DIERUM VITAE SUÆ, QUO QUOD DEUS OCCUPET DELICIAS COR EJUS. — q. d. Talis non multum recordando dierum, scilicet molestiarum hujus vitæ, affliget se, quia Deus dat ei lætitiæ, ut late rebus suis fruatur. Syrus, quia Deus sollicitat illum in lætitiæ cordis sui; Chaldaeus, neque vero tantum ætate proceditur quisquam, ut dierum suorum reputationem facere possit, quot ex illis felices et quot calamitosos illicebant: non enim ex voto et arbitrata hominibus dati sunt, sed a Domino decretum præscriptum est, quot ille dies in lætitiâ, quotque in animi tranquillitate sit transacturus; Campensis, parum qui talis est recordabitur in commodorum vitæ suæ: Deus enim exercet cor ejus hilaritate; Vatablus, quia Deus exaudivit eum in lætitiâ cordis sui; alii, quia Deus rependit in lætitiâ cordis sui, vel respondet in lætitiâ cordis ejus. Hebræum enim חסדו חסדו (sæpe dicitur) proprie significat respondere, respondere, q. d. Dives, qui liberaliter suis ad suum et aliorum commodum utitur, laborat quidem in opibus colligendis et honeste expendendis; sed Deus ex æquo respondet labori ipsius, etique rependit lætitiâ æqualem, imo majorem, quam sit labor. Sicut enim in concerta musico basso respondet altus, et quantum ille deprimit et aggravat vocem, tantum hic erigit, exultat et exsultat: sic pariter Deus liberalis temperat dolores et gaudia, et tristitiam et lætitiâ hujus vitæ, ut hæc illi ex æquo res-

pondeat, imo præponderet; quantum ergo tristitia eum deprimit, tantum et amplius lætitiâ eum exultat, ut exsulet, itaque ex utrisque concinna fit musica et harmonia, quæ tam justum liberalem, quam Deum et angelos oblectat. Jam

Primo, hanc gnomen referat ad brevitetem vitæ. Unde Vatablus vertit, parum sollicitus est quantum viveret aut victurus sit, quia semper est lætus.

Secundo, eandem referas genuine cum Campensi ad vitæ ærumnas, labores, dolores, quos non cogitat, non estimat, et quasi non sentit liberalis; quia suis commodis utens hilarior est, itaque gaudet, nec tristes in animo de longitudine dolorum et laborum admittit cogitationes.

Tertio, eandem referas partim ad præteritis, partim ad futuros vite dies, q. d. Avaro est de præteritis, sollicitus est de futuris, metuit enim ut opes deficiant; et a liberalis jucunde exigit præteritis vite dies, et futurus sperat futuros. Quocirca avaro et infelicis vita est longa; liberali vero et felici brevis videtur.

Quarto, Chaldaeus refert ad computum et comparationem dierum letorum et tristium, q. d. Avari computant plures dies tristes, quam lætos, et a liberalis plures lætos quam tristes.

Quinto, Olympiodorus bimembris faciens sententiam censet hæc duas afferri rationes, quæ avaro persuadeant bonum opum usum: prior est, quod vita hæc sit brevis et molestus plena; secunda, quod bonus opum usus sit Deo gratissimus, ac mentem utentis et beneficentis mire lætificet, juxta illud: « Jucundus homo qui miseretur et commodat, Psal. cxi, 3.

Denique R. Salomon et ex eo Cajetanus vertunt, non recordatur dierum vitæ suæ, quia Deus præbuit testimonium felicitatis ipsius divitiis, jugiter illius mentem exhilarando. Verum hebræum magne proprie significat respondet, non præbet testimonium (1).

Tropologie, Olympiodorus accipit hanc gnomen de divitiis spiritualibus, quales sunt opera virtutum, presertim orationis et contemplationis, et cæbra dignaque precepto Eucharistiæ. Hæc enim angelicis delicis animam oblectat, sopitque omnes dolores et merores. Ita enim, teste S. Hieronymo, spiritualis vitæ delicis purissimæ contemplationis perfusus obliviscitur dierum vitæ suæ, quos quia cælestes consolations angustant, non tam transire quam volare conquiretur. Hinc magnus Antonius orans, et has divinas voluptates experiens, cum solis ortus crepescit infundi, solebat proclamare: « Quid ne impedis, sol, qui

(1) Hujusmodi tranquillos animus magnum profecto Dei donum est (alii: Potestate vitæ bonis hilare frondit a Deo data utatur homo), quia qui eo præditus est, non multum recordatur dierum hujus vitæ, non macerat se vanis de præterito, quod emendari nequit, doloribus, neque frustationis de futuro curis: Deus enim respondet ei per lætitiâ, vel eum gaudio cordis sui; alii, exaudivit lætitiâ vitæ cordis ejus.

ad hoc jam oris, ut me ab hujus veri luminis abstractas claritate? » His videlicet querimonios noctem, quam contemplanando transegerat, brevitate accusans, et solem ab oratione abstractentem, et ad aliquam necessariam occupationem vocantem compellans. Vere jucunda vita, quæ vitam mortalem abbreviat, non aliquid ex ejus spatiis demendo, sed mentem nostram summis voluptatibus inessendo: jucunda vita, qua Deo inhaeremus, et fl. i. immense suavitate immergimur. Quid enim prohibet, o homo, licet inter mundi hujus miseria commoreris, illud Ambrosii dicere: « Potes et hic esse et adesse ad Domi-

num, si illi adhaereat anima tua, si post ipsum cogitationibus tuis ambules, si fide non spee vias ejus sequaris, si ad ipsum confugas. Est enim refugium et virtus, cui David: Ad te confugi, et non sum deceptus. » Ita S. Ambrosius, *De Fuga sæculi*, cap. viii.

Anagorice, Beati in cælo non recedantur dolorum et laborum presentis vite, ita ut eos sentiant et deleant, quia Deus immensa lætitia implet cumulatque corda eorum, quæ omnem excludit dolorem, metum, tristitiam, curam etc., juxta illud: « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. »

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit ostendere vanitatem et ærumnas avari, qui cum bonis abundet, tamen avare genium suum defraudat, et sæpe bona tanto studio collecta extraneo relinquit: unde eo meliorem pronuntiat abortivum, atque odit vanitatis ejus et infelicitatis argumenta. Eandem materiam tractavit præced. capitibus; quare hic breviter ero.

1. Est et aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines: 2. Vir, cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud; hoc vanitas et miseria magna est. 3. Si genuerit quispiam centum liberos, et vixit multos annos, et plures dies ætatis habuerit, et anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat: de hoc ego pronuntio quod melior illo sit abortivus. 4. Frustra enim venit, et pergit ad tenebras, et oblivione delebitur nomen ejus. 5. Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni et mali: 6. etiamsi duobus millibus annis vixerit, et non fuerit perfruitus bonis: nonne ad unum locum propeant omnia? 7. Omnis labor hominis in ore ejus: sed anima ejus non implebitur. 8. Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illic, ubi est vita? 9. Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias; sed et hoc vanitas est, et præsumptio spiritus. 10. Qui faturus est, jam vocatum est *מורא* ejus: et scitur quod homo sit, et non possit contra fortiorem se in iudicio contendere. 11. Verba sunt plurima, multaque in disputando habentia vanitatem.

1. EST ET ALIUD MALUM (Septuaginta *νομιμία*, id est *malitia*, id est miseria, afflictio), quod vidi sub sole, ET QUIBEN FREQUENS APUD HOMINES. — Hebræa, *multum super homines*; Chaldeus, *super filios hominum*; Symmachus, *opud homines*; Arabicus, *sub celo*; Septuaginta, *sub homine*, quia scilicet homines sponte illi incubant, et in eo jacent, ut videbimus velle esse mali, id est vani et miseri, sicut scabiosus gaudet fricando suam scabiem et pruritus, esto per hoc scabiem suam foveat et auget. Idem malum est *super hominem*, quia illi dominatur illumque cruciat et vexat. Unde Tigrina vertit, est malum principatum obtinens inter homines. Alius, est malum multum magnum opud homines.

Vox *aliud* non est in Hebræo, Græco, Syro, Arabico, sed explicationis gratia ab interprete additum. Significat enim aliam avaritiæ ærumnam, et vanitatem distinctam ab ea quam recensuit capite præced. vers. 12, scilicet, quod opes sæpe congregentur in malum divitis, et avaritia perdat avarum herum suum. Hic ergo aliam ejus vanitatem, sive vanitatis speciem attingit, scilicet quod avarus inter opes suas egeat, easque alieno, qui eas prodiget, relinquat. Licet enim in fine cap. præced. dixerit ingens bonum et Dei donum esse suis uti et frui, tamen contrariam avari vanitatem, qui suis non audet uti, non recensuit, quod proinde hic facit.

Porro avaritia hæc æreus est apud homines.

præsertim Judeos, quibus hæc scribit Salomon. Unde etiamnum videmus Judeos nil nisi luera et opes cogitare, easque per usuras, per fas et nefas prosequi. Audi S. Hieronymum in illud *Isaia* ii, 7: *Repleta est terra argento et auro: et non est finis thesaurorum ejus: « Utraque, inquit, gens et Judæorum et Romanorum per hæc verba avaritiæ suggestitur. Quod his cæne quoque tam Græcæ narrant, quam Latine, nihil Judæorum et Romanorum gente esse avarius, » illo scilicet avo.*

2. VIR CUI DEDIT DEUS DIVITIAS, ET SUBSTANTIAM, ET HONOREM, ET NIHIL DEEST ANIMÆ SUÆ EX OMNIBUS QUÆ DESIDERAT: NEC TRIBUIT EI POTESTATEM DEUS UT COMEDAT EX EO, SED EXTRANEUS VORABIT ILLUD; HOC VANITAS ET MISERIA MAGNA EST. — Septuaginta, hoc vanitas est et tempus pessimum; Arabicus, hoc vanum est et infirmitas immunda; Vatablus, gravis dolor.

ET HONOREM, — honorem jungit divitiis tanquam filiam matri, et esse tum causæ. Opes enim dant honores, hinc opulentos videmus ab omnibus honorari et coli. Unde Chaldeus vertit, *gloriam facultatum*; Arabicus, *nobilitatem*; alii, *splendore dignitatis*, quem conciliant diviti opes.

SUBSTANTIAM — Nove Cajetanus suo Judæo credulus vertit, *genitas*. « Et nihil deest animæ suæ, » id est desiderio et voto suo, *q. d.* Habet opes et rerum copiam, quantum quis iuste et honeste optare potest.

Dices, quomodo ergo dicitur vers. 7: « Anima ejus non implebitur? » Respondeo primo, quia avarus suis non audet uti. Itaque habet opes quoad dominium, sed non quoad usum et fructum. Unde S. Hieronymus, *epist. 103 ad Paulinum*: « Avaro, ait, tam deest quod habet, quam quod non habet. » Secundo, quia insatiabilis est, et quo plura habet, eo plura desiderat, instar canis semper hiantis. Audi Senecam, *epist. 72*: « Vidisti canem missa a domino frustra panis aut carnis aperto ore captantem; quidquid exepit, protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis; quidquid expectantibus natura proiecit, id sine voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti et allenti. Hoc sapienti non evenit; plenus est: etiam si quid obvenit, secare excipit ac reponit; lætitia fruitur maxima, continua sua. »

NEC TRIBUIT EI POTESTATEM DEUS. — Hebræa, *nec domo-vari fecit eum Deus*; hinc fit ut opum suarum sit servus, non dominus. Unde Tigrina, *Deus non instituit illam dominum*; Campensis, *sed animam eam utendi tibi non tribuit*.

Nota: *neq. tribuit vel potest accipi permissive, et sermo sit de culpa avaritiæ*. Ad hanc enim Deus avarum non cogit, sed permittit ei pravum usum liberi arbitrii ut se dedat avaritiæ, ait Olympiodorus, quomodo Deus dicitur tradidisse philosophos, ob superbiam, in passionem ignominie, *Rom. 1, 26*; vel *positive*, ut sermo sit de pena avaritiæ: hæc enim Deus avaro infligit, dum

eum bonis suis spoliat, vel uti prohibet, sive per morbum immisum, ut vult Lyranus, sive quo alio modo, ut vult Thaumaturgus et Cajetanus.

SED HOMO EXTRANEUS (S. Hieronymus, *alienus*; Tigrina, *exterus*; Campensis, *ignotus*) VORABIT ILLUD — id est, ut explicat *Erith.* cap. xiv: Congregat et in bonis illius alius luxuriabitur, » idque variis fit modis: unum assignat hic Chaldeus dum paraphrastice ita vertit, *non debet ei potestatem Dominus ob peccatum suum, ut gustaret ex eis: sed miseretur absque liberis, et non misertus est proximi sui, ut heretem eum sibi constituerit; etenim uxorem ejus tradet viro alieno, qui hereditabit eas et comedet eas. Omnis loquax rei causa peccata sua illi fuerunt, quod non fecerit ex illis quidquam boni, et conversæ sunt ei divitiæ ejus, ut essent in vanitatem et in aggritudinem malam.*

Alii modi sunt, cum fures et prædones avaro opes abripiunt, aut ligatores per lites illi auferunt, aut potius cum deficientibus vel exclusis filiis externis in hereditatem ejus, per vitiis se insinuat et subintrat. Vox *vorabit* notat prodige ab extraneo consumi, quæ avaro ab eum collecta sunt, ut sæpe fieri videmus. Sic enim congrua talionis pena Deus avaritiam et avaros castigat. Avarus ergo dicit alium, non se; exterum sæpe, non filium, juxta Italorum proverbium quod dicit Tiraquellus: « Difant hominem hæc quatuor, » scilicet, ut inquitur Itali: *Il morto, il porco, il porto, el orto*.

Tropologie noster Alvarez de Paz, lib. I *De Vita spirit.* part. II, cap. xii, hæc gnomen adhibet religiosi tepidis, qui cum omnibus bonis spiritualibus abundant, tamen per acediam tibi uti fructu negligunt, quia sub sole degunt, id est affectus suos in terrena defigunt, hæc eos ad cælum attollunt; quare hæc eorum bona devorat extraneus, id est diabolus, dum ea in ipsis inutilia, imo exitialia efficit, ut scilicet ipsis cedant in majorem damnationem, ut paulo ante dixi.

Hujus rei veritatem eleganti divitis ei fortuna apologeto, pulchris exemplis adornato, demonstrat Cyrillus, lib. III *Apol. moral.* cap. iv, cuius titulus: *Contra eos qui non sunt contenti, cum satis habent*: « In secundis, inquit, rebus, cum homo sibi factus sufficiens et dives, minime contentus amplius sitiret, et secum tempestuosus plus quæret, fortunam obiviam habuit, quæ ei dixit: Ut quid, charissime, non quiescis, cur, jam tribuerim tibi satis? At illi respondit: Sua munera dilectidinis trahit bonum, et deinceps additum fuerit, est molestum. Cui illa: Ecce, inquit, video quod pauper effectus es, postquam cupiditate plus sitis. Nam si satis haberes, amplius nullatenus quæres. Plus enim cupit ille cui quidem satis non est. Ecce te depauperavit avara voluntas, exinanivit cupiditas, expoliavit sitibunda tempestas. Attamen si totum invenies aurum male conditum Salomonis, amplius non habebis. Sed illud quo bene utimur, hoc demum habemus. Nam fossus

Apologeto
Cyrillus
lib. III
Apol. moral.
cap. iv.